

erroris apprehensio vel suspicio; et si hic status mentis longius perdurat, intellectus prorsus pervertitur, ita ut vox veritatis vix iam audiatur. Mens enim tunc similis est speculo velato vel superficiei aquae ventis turbatae, quae obiecta non iam reflectunt, vel modo deformati exhibent.

II. Inde vero deduci nequit, omnem errorem, licet supponat influxum voluntatis, esse peccatum, ut nonnulli voluerunt; tanta est enim infirmitas humana, totque sunt causae errorem excusantes, ut saepe non adsit ulla ratio peccati, praesertim si error oritur ex fonte extrinseco auctoritatis humanae (magistri, parentum), ita ut saepe moraliter impossibile sit, errorem vitare vel detegere. Origo vero erroris prima semper ad aliquem influxum voluntatis reducenda est.

*Obi.*: 1. Simplex apprehensio est vera — conc.

Atqui simplex apprehensio est causa iudicii: dist.: adaequata — nego; inadaequata — conc.

Ergo omne iudicium est verum; dist.: si simplex apprehensio esset causa unica et formalis — conc.; cum non sit unica, sed materialis — nego.

2. Atqui est causa adaequata; nam in tantum iudicamus, in quantum apprehendimus; dist.: sola simplici apprehensione — nego; comparativa — conc.

3. Atqui sufficit simplex apprehensio; nam comparativa nil addit, neque ex parte obiecti cogniti, neque ex parte subiecti cognoscentis — nego disjunctionem; nam addit aliquid ex parte utriusque sc. comparando obiectum formale cum materiali, ut identitas appareat, et conformitas mentis cum re non solum inhaesiva (subiectiva), sed etiam obiectiva fiat.

4. Atqui si simplex apprehensio est vera, etiam comparativa erit vera; dist.: nisi adest defectus attentionis vel influxus illegitimus voluntatis — conc.; alias — nego.

5. Atqui in illa apprehensione comparativa non potest esse falsitas; nam proveniret aut ex intellectu aut ex voluntate; nego disjunctionem: aut ex utroque simul.

Atqui non potest provenire ex intellectu:

6. Nam nulla facultas potest deficere a suo obiecto formali; dist.: vel vero vel apparente — conc.; semper vero — nego.

Atqui obiectum formale intellectus est verum; dist.: verum vel species veri — conc.; semper verum ipsum — nego.

Ergo intellectus iudicando non potest errare — nego.

7. Atqui obiectum formale intellectus non potest esse tum verum tum species veri; nam tunc nullum discrimen esset inter verum eiusque speciem; dist.: discrimen obiectivum, si inquirat, nullum haberet — nego; subiectivum — trans.

8. Atqui falsitas non potest saltem ex voluntate provenire: nam voluntas non intelligit; dist.: non elicit actus intelligendi ex se — conc., non imperat — nego.

9. Atqui neque imperat; nam obiectum formale voluntatis est bonum, non verum; dist.: bonum tum suum tum omnium facultatum — conc., solum suum — nego.

Atqui nulla facultas potest deficere ab obiecto suo formali — conc.

Ergo voluntas non potest tendere in verum; dist.: ut bonum suum — trans.; ut bonum intellectus — nego.

Sicut regis est, non solum suum bonum, sed et civium procurare, sic voluntatis est, bono aliarum facultatum, quae ipsi subduntur, providere.

10. Atqui neque sub ratione boni potest intellectum determinare; nam deberet intellectui suggerere rationes, quod non pertinet ad voluntatis obiectum, dist.: deberet intellectum determinare, ut ipse consideret alias rationes — conc., ipsa voluntas suggerit rationes — nego.)

#### § 4. De gradibus veritatis.

*Thesis VI: Veritas formalis non admittit gradus, admittunt vero veritas tum obiectiva tum subiectiva.*

*St. qu.* Veritas logica potest considerari, ut iam diximus, ratione subiecti cognoscentis, obiecti cogniti et nexus inter subiectum et obiectum. In hoc nexu invenitur veritas *formalis*, et est ipsa adaequatio mentis cum re cognita. Ratione obiecti veritas vocatur *obiectiva* et consistit in notis illis obiectivis, quas mens in re percipit; ratione *subiecti* veritas vocatur *subiectiva* et consistit in firmitate actus assentiendi. — Quaeritur, num veritas gradus admittat.

##### I. Veritas formalis non admittit gradus.

Prob. I. *Ex natura veritatis*: Veritas formaliter spectata consistit in adaequatione inter intellectum et rem. Atqui aequatio non potest esse maior vel minor, sed est in indivisibili, e. g. lineae aequales. Ergo veritas quoad formalem suam rationem non admittit gradus.

(2. *Ex natura iudicii*: Veritas iudicii in eo est, ut affirmetur identitas subiecti et praedicati. Atqui sicut identitas, ita etiam conformitas mentis cum re quoad hanc identitatem nequit esse maior vel minor. Ergo neque veritas formalis potest esse maior vel minor.)

##### II. Veritas obiectiva admittit gradus.

Prob. 1. *Extensive*: Quo plures notas alicuius obiecti apprehendimus, eo maior quoad extensionem fit conformitas mentis nostrae cum obiecto. Atqui possumus semper maiorem obiecti quoad comprehensionem acquirere cognitionem, et in hoc consistit obiectiva veritas extensive spectata. Ergo obiectiva veritas admittit gradus quoad extensionem.

2. *Intensive*: Veritas obiectiva intensive spectata dependet a modo, quo praedicatum subiecto convenit; potest enim ei per essentiam vel per accidens tribui. Unde eo maior erit veritas obiectiva, quo magis necessarius est nexus inter subiectum et praedicatum. Atqui ille nexus potest esse per se i. e. necessarius et per accidens i. e. contingens. Ergo et veritas obiectiva potest esse maior et minor.

III. *Veritas subiective spectata admittit gradus.*

Prob. 1. *Quoad gradus essentialis*: Gradus essentialis veritatis subiectivae est in diverso modo, quo veritas logica est in singulis actibus mentis specie diversis i. e. in simplici apprehensione et iudicio sive ratiocinio. *Atqui* veritas logica in simplici apprehensione non inest nisi imperfecta i. e. solum subiective; in iudicio autem et ratiocinio est perfecta i. e. subiective et obiective. Ergo sunt gradus essentialis veritatis subiectivae.

2. *Quoad gradus accidentales*: Gradus accidentales sunt in diversa firmitate actuum cognoscendi eiusdem speciei.

*Atqui* a) motiva possunt plura esse vel firmiora; b) perceptio motivorum potest esse plus minus clara; c) lumen intellectus potest esse maius vel minus, sive plus minus dispositum; d) voluntas potest ratione dignitatis, utilitatis, necessitatis alicuius veritatis mentis assensum augere, ut praesertim fit in fide; „quod volumus, credimus libenter“ (Caesar). Ergo et veritas subiectiva gradus admittit.

*Obi.*: 1. Veritas in apprehensione et in iudicio est formalis utraque; dist.: veritas essentialis — conc., accidentalis — nego.

*Atqui* veritas in iudicio perfectior est; dist.: accidentaliter, i. e. quoad statum ratione actus et materiae — conc., essentialiter vel formaliter — nego.

Ergo etiam veritas formalis gradus admittit; dist.: ut in minori.

2. Veritas opponitur falsitati; dist.: contrarie — conc., contradictorie subd.: quoad obiectum formale — conc., quoad obiectum materiale et actum — nego.

Ergo quo plus aliqua veritas recedit a falsitate, eo maior erit; dist.: quoad obiectum formale — nego suppositum; quoad obiectum materiale — conc.

*Thesis VII: Falsitas et formaliter et obiective et subiective spectata admittit gradus.*

*St. qu.* Falsitas est *positiva* difformitas mentis et obiecti; unde *formaliter* spectata est vel in negatione qualitatis obiecto tribuendae, vel in affirmatione qualitatis obiecto negandae. Haec falsitas formalis in *solo iudicio affirmativo* admittit gradus, quia contrarie veritati opponitur; negativum autem contradictorie potius veritati opponitur, e. g. Deus existit et Deus non existit. — Falsitas *obiective* sumpta est ipsa qualitas obiecto immerito vel tributa vel negata, falsitas *subiective* sumpta est maior vel minor tendentia vel firmitas actus in falsum assensum.)

I. Falsitas *formaliter* inspecta in iudicio *positivo* admittit gradus:

Prob. 1. *Ex natura falsitatis positivae*; est enim difformitas mentis ab obiecto per terminum aliquem positivum. *Atqui* hic terminus potest plus vel minus distare a vero e. g. Petrus est irrationalis et Petrus est aegrotus. Ergo . . .

(2. *Ex oppositione veri et falsi*: Verum et positive falsum contrarie opponuntur. *Atqui* contraria admittunt media. Ergo adsunt gradus.)

II. *Falsitas obiective spectata admittit gradus:*

Prob. 1. *Extensione*; nam possumus plura vel pauciora falso negare vel affirmare de eodem obiecto; unde plus vel minus recedimus a vero.

(2. *Intensive*; sicut enim cognitio verior est, quae conformis est obiecto in essentialibus, quam in accidentalibus, ita maior est difformitas in praedicatis essentialibus, quae nunquam de falso transire possunt in verum, minor in accidentalibus, quae, licet alio tempore, possunt transire in verum; e. g. Petrus nunc aegrotus potest alio tempore esse vel fuisse sanus.)

III. Falsitas *subiective* spectata admittit gradus, quo firmior est assensus falsus vel difficilior abiectio erroris: a) ratione luminis intellectualis, b) indolis, c) motivorum, d) circumstantiarum.

*Obi.*: 1. Veritas formaliter spectata non admittit gradus; ergo neque falsitas formaliter spectata — nego paritatem. Probo paritatem:

2. Inter verum et falsum est distinctio, sicut inter esse et non esse: dist.: si iudicia falsa sunt negativa — conc., si affirmativa — nego.

*Atqui* inter esse et non esse est oppositio contradictoria — conc.

Ergo etiam inter verum et falsum; dist.: si iudicia falsa sunt negativa — conc., alias — nego.

3. *Atqui* etiam in iudiciis falsis positivis est contradictio, quia includunt negativa; dist. formaliter — nego; virtualiter — conc.)

**Caput II: De statu veritatis, sive de certitudine.**

## § 1. De natura certitudinis.

Licet obiectum intellectus sit veritas, mens tamen non semper eodem modo se habet ad veritatem. Potest enim 1. esse in statu *ignorantiae* vel totalis vel partialis respectu veritatis cognoscendae, et haec ignorantia vocatur *negativa*, i. e. simplex carentia cognitionis in subiecto non apto ad cognoscendum; est vero *privativa* in homine apto, qui deberet habere cognitionem.

2. *Dubitatio* est suspensio mentis inter contradictoria, et est *positiva*, si adsunt rationes, sed non convincentes pro utraque parte; *negativa*, si eiusmodi rationes non adsunt, et tunc recidit in ignorantiam.

3. *Opinio* est assensus in unam partem contradictoriam cum formidine erroris; et est *probabilis*, si rationes sufficientes adsunt, non vero convincentes; *improbabilis*, si insufficientes sunt rationes.